

*Sammelband*

*91*



Contenta hujus libri.

1. Iohann. Caselij ad Laurentium Sebeurium *Επίτροπος*.  
Πέντε *ἢ* de Magistro dicendis.
2. Διαμαρτυρία.
3. Οἰκτιύματα περὶ ἑχθρῶν προσηγοριῶν.
4. Iohann. Alberti ducis Megapolit. *ΛΑΥΔΑΙΤΙΟ*.
5. Ἐλεεινὸν ἔγγραφον *ἢ* de casu miserabilij.
6. ad Matthiam Overbecium *Διάβοις*.
7. Ἀκαδημαϊκός.
8. Oratio consecrata memoriae Caroli ducis Megapol.
9. Ἰακύνθου.
10. Oratio Funeris scripta Andreae Mylio.
11. Oratio scripta religiosiss. viro Joanni Nivinio.
12. Scripta quaedam studiosis bonar. artium magno,  
per se profutura.
13. Quatuor epistolae ad Danilem Hofmannum.
14. Ad Cornelium Martinum Epistola.
15. Kalenda Ianuaria.
16. Ad Clar. Virum Ioan. Keccium Epistola.
17. Ad Clar. Vir. D. D. Georgium Platen. D. Caspari  
Schwartzkopf. D. Gregorium Julium D. D.  
Danilem Engelbrecht J. C.
18. Ad Andream Sancti & Cathar. Smedimian.
19. Ad Clar. & doctiss. Vir. Dn. Georg. Schöellerus.
20. Ad Joachimum Goetzen Pro Consolatione  
Epistola.
- 21.


22. Johann. Caselij ad Clarm. & prudentiss. Consules  
civitatis Göttingensis Epistola.
23. Epistola qua Bogesilao ex. gratulatur.
24. Ad Henricum Julium à Witebsheim  
ex Elisabeth. à Lipsa sponsus.
25. Ad Ludolphum Klencken Epistola.
26. Ad Julium Jagman Epistola.
27. Ad Henricum Böetium ex.
28. Ad Andream Cludium Epistola.
29. Ad Henningum Armisum Epistola.
30. Ad Orenum Guntberum Epistola.
31. Isaaci Casaubony ad Ioan. Caselium Epistola.
32. Ioan. Caseli ad Philipp. II. Ducem Lomerania.  
Ad Ernestum Volcmarium.
33. Ad Clar.<sup>um</sup> Ioan. Reccium Epistola Prae.
34. Ad Ericum Clacium Epistola.
35. Ad Henningum V. D. Schulerburg Epistola.
36. Epistola qua gratulatur Dr. D. Henr. Dudenadio.
37. Epistola qua Theodoro Adamio gratulatur.
38. Ad Theodoricum Bahr Epistola.
39. Ad Henricum Julium Strubium Epistola.
40. Ad Adamum Lucsterium Epistola sua.
- 41.

42. Iohann. Caseli ad Ioachimū Huldaricū Sponsū Epistola.  
 43. Epistola dūa ad Arnoldum Engelbrecht et ad Cōti-  
 apūm Stisser.  
 44. Ad Conradum Horneum Epistola.  
 45. Ad Christophorū Myliū Epistola.  
 46. Epistola dūa s. ad Christophorū Myliū altera ad  
 M. Valentiniū Myliū.  
 47. Ad Magnific. Virū Werneriū Rōmig.  
 Elogiū Bartholdi Sicdū.  
 48. Ad Magnific. Dn. Christianū Distelmerer gratulatio.  
 49. Ad FRID-SEVLERICUM De salvo ad suos reditū.  
 50. Terce Diacos Frid. Vdarici Nox. April. natal. 2.  
 51. Ad Henningū V. D. Sobulerburgkni Angem Gratulatio.  
 52. Honori Exequiarū Adami Crausen in Daroffeld.  
 53. Ad Eobaldum Brümmerū.  
 54. Ad Hildebrandum Giseleū Rūman Consolatio.  
 55. Iohannis Caseli Proœmiū quod Explicationi libri de loqua-  
 tate præmisit.  
 56. Iohannis Caseli Proœtoris Academ. Juliac ad Gradū  
 sine mensæ communis convictores repositū.  
 57. Iohann. Caseli repositū in p̄b̄d̄v̄is in Ademistū.  
 D. Eudgūm vitæ mortalium! ut. ignū.



*[Faint, illegible handwriting in a historical script, possibly Latin or German, covering the page.]*









IO. CASELII  
 AD ANDREAM CLVDIVM, PROFESSOREM PRIMARIUM acad. Iuliae, senatorem curiae ducalis Brunsvig. assessorem iudicij provincialis, Ic.<sup>tum</sup> & oratorem Cl.<sup>mum</sup>.

EPISTOLA.

MEMORIAE SOPHIAE CLVDIAE  
*septennis puellula, Andrea Cludii  
 filiola*

CARMINA

à Cl. & doctissimis aliquot amicis scripta benevolentiae & *συμπαιδείας* gratia erga parentes mœstissimos.



HELMAESTADI,  
 Ex Officina Typographica Iacobi Lucij,

ANNO MDLX.



ANDREÆ CLVDIO  
V. CL. S. D.

Ioan. Caselius.

**R**Otiùs in ijs, quorum superiore hie-  
me, cum fortè domum tuam venis-  
sem, mentionem ad me faciebas,  
plurium dierum operam tibi præ-  
stem, quod profecto cum animi ala-  
critate faciam, quàm epistolam hanc breuem,  
& squalidam mediter in luctus tui inexpecta-  
ti consideratione. Etsi autem scio, quàm pa-  
rum, cum in omni genere ad scribendum vale-  
am, tum præcipuè, si animus tristitia affectus,  
medicinam flagitet: tamen qualecunq; esset,  
quod mihi in mentem veniret, perscribere ma-  
lui, quàm in hac parte amicitiaè videri negligenti-  
or. Nudius autem tertius, cum de natu mi-  
nimæ filiolæ tuæ obitu prius, quàm de morbo  
aut inualetudine, per viciniam nunciaretur, hoc  
magis ipse cohorrui, quòd pauculis admodum  
diebus antè, domum tuam fortè præteriens,  
præ foribus stantem, etsi pallidulam, compella-  
ueram

ueram, de te, vt solemus, sciscitans. Hoc ipsum tanto grauius animo tuo vulnus accidit, quòd illo ipso fatali illius die aberas. Iam amici partes sunt, qui ad consolandum veniat, vt quod malum re nemo possit, oratione saltem siue consilio minuat, ego vero primùm & potissimùm declarationem mei doloris proferam, eam pro aliquo solatio esse ratus. Neq; enim magnitudine tui doloris leuiter afficior. Alterum nec in animum inducam, neq; opus est, vt depromam ad te aliquid è monumentis sapientum, aut è sacris litteris, quæ omnia ipse didicisti à puero, & in promptu habes, & potes, cum voles, haurire, ex vtro voles fontium. Exponam tibi potius paucis, quid ipse, qui annis plusquàm triginta tot carissimorum funera extulerim, secutus fuerim: primum caui, ne in solitudine me mærore conficerem: amicorum litteras libenter legi, familiarium sermones alijs de rebus audiui quotidie: namq; qui hoc animi vlcus assidue tangant, eos ingratos nobis esse necesse est: neq; id posse existimem, qui ex animo malis nostris afficiantur. Quod autem minus ipse feci, & ægrè in tanta animi ægritudine

ne facere possumus, iubeam eos, qui doloribus  
conficiantur, à tristibus aliò animum conuer-  
tere: vt qui ὀφθαλμιῶντες quid contueri velint, è te-  
nebris, versus lucernam, vel ad lucem, oculos  
vertunt : mihi iccirco hoc erat subdifficile,  
quòd vti non sum ea firmitate membrorum,  
qua plæriq;, ita forte & animo imbecillior: ita-  
que me litteris & ratione aliquantulum susten-  
taui. Te, Cludi, natura & corporis, & animi  
viribus donauit, confirmauere cùm ipsæ lit-  
teræ, tùm vsus rerum, vt non dubitem rogare,  
siue iubere, vt respicias ad bona, tùm fortunæ,  
tùm animi: in re familiari nihil desideras, pepe-  
risti tibi gratiam potentum, inuenisti à puero  
benevolentiam bonorum: habes liberos plures,  
alios iam præstantes, alios non minoris expe-  
ctationis: quæ singularia bona qui adepti sunt,  
à populo beati censentur, & sunt profectò fe-  
lices, cuiusmodi est humana felicitas : occupa-  
tiones verò etiam tuæ, & negotia, quæ ratione  
officij deponere tibi non licet, si non oblitterant,  
obscurant nonnihil dolores eiusmodi. Cedit  
enim labori dolor, certè animus labori inten-  
tus, interea non adeo dolorem sentit. **Quod**  
cum

cum ita euenire olim animaduertentem, im-  
ponebam ipse mihi scriptiones, quæ tùm etiam mi-  
nus necessariæ viderentur. Non esse autem re-  
pudiandas in aduersa fortuna cuiuscunq; gene-  
ris *ἄσυχας*, neq; negligendas, existimemus: ni-  
ti tamen simul possumus, & ante omnia debe-  
mus bonitate summi omnium patris, tùm  
quòd ab eo, quæcumq; cuiq; nostrum sunt bo-  
na, obueniunt, tùm quòd, quæ ab illo homini-  
bus beneuolentissimo & sapientissimo decer-  
nuntur, & in vniuersum, & nobis esse bona, ne-  
mo nisi impius, & in diuinam maiestatem blas-  
phemus, neget. Et hæc vero, & illa, si spectes &  
cogites, non solum ipse te colliges, sed & vxo-  
rem optimam, & liberos carissimos eriges, &  
exemplo eris alijs, quos eiusmodi aut similes æ-  
rumnæ inuadunt, & primariæ virtutis laudem  
adeptus fueris, siue constantiam, siue fortitudi-  
nem nominemus. Breuior sum, quàm res postu-  
lat: longior, quàm ad te opus fuerit: si qua tibi  
deesse senties, ea vel ex ipsius sapientiæ scrinijs  
petes, vel sciscitaberis ex huius thesauri me di-  
uitioribus. Vale ex acad. Iul. iv. Kalend. Quintil.  
cic lō cix.

ANAGRAMMATISMVS  
PIIS MANIBVS  
SOPHIAE, filiolæ Magnifici & Clarissimi viri,  
Dn. ANDREAE CLVDII, Icti celeberrimi &c. scriptus.

SOPHIA CLVDIA,  
HOS PIA LVCIDA.



*Iccine vernanti, Sophie, mox concidis auo,*

*Ceu vere primo flosculus tener cadit?*

*Nec matris pietas, nec magni gloria patris,  
Nec maior annis illa præcox indoles,  
Nec germanorum tot, nec tot vota sororum  
Telum necis ferae queunt auertere?  
Mors adeò ex Ada lapsu peruasit in omnes,  
Æt atula prima nec parcit improba.  
Gloria sed CHRISTO sit, qui nos perpete vitâ  
Dignatur, & tenella ætati hanc annuit:  
Immo illam citius regna ad cœlestia transfert,  
Ne polluantur huius mundi sordibus.  
Hunc penitus, Sophie, tenero tu corde fouebas:  
Huic tu preces casto ferebas pectore:  
Hic tibi in ore erat: Hunc præ sagâ voce putabas  
Quamuis superbis præferendum nuptiis.*

Ann-

*Annuit ille pia voci, teq; intulit astris,  
Et te sibi sponsam perennè mancipat.  
Hic tibi trinunus ridet clementer Ioua,  
Hic Angeli tibi rident suauiter.*

*Hos PIA mens fructus iam carpit LUCIDA in a-  
Solatur hoc luctus parentum flebiles. (thrâ.  
Henricus Eckstormius M. Sub  
Prior Monasterij VValkenrod. officij &  
συμπροδίας ergò faciebam.*



EPITAPHIVM

SOPHIÆ V. ET IC. ti CELEBERR.

DN. D. ANDREAE F. CLVDIAE.

**C**Vam clarus genuit legum Iurisq;  
sacerdos  
CLVDIVS, ante alios meritisq; fi-  
deq; probatus,  
Deliciæ patris, Sophie, matrisq; voluptas:  
Ah iacet, ah nimum citò tristibus occubat um-  
bris,  
Flosculus vt, tenui ventorum flamine motus.  
Mœret vterq; parens, vnaq; dolemus amici,  
Tam pulcrum pulcra ramū de stirpe reuulsum.  
Nec

Nec tamen immodico fas indulgere dolori.  
Illa breui moriens functa est mortalibus ætio.  
Ast ita nondum huius temerata à crimine secli,  
Digniùs in domino subijt mens sydera cœli,  
Iam verè Sophie, cui lux est vitaq; CHRISTVS,  
Huius & in gremio non interitura voluptas.

Ioannes Reccius. C. G. F.



TUMVLVS  
SOPHIAE CLVDIAE.



*Q*uæ matrem vultu referebat & indole patrem,  
Hoc tumulo SOPHIE CLVDIA contegitur.  
Non caruit tacito tam felix omine nomen:  
A teneris didicit sedula nosse Deum.  
Nec didicit tantum, verùm ore & mente professa est,  
Præscriptas recitans relligiosa preces.  
Quot vixit menses, tot viuere debuit annos,  
Et patriam augmentis amplificare domum.  
Christo aliter visum: ne quid pateretur acerbi  
Æternos teneram iussit adire lares.  
Vita hominis flori similis, quem tempore verno  
Educat vna dies; enecat vna dies.

Henricus Meibomius, Poëta  
& Historicus.

Cl-





Clarissimo viro,  
Dn. ANDREÆ CLVDIO ICto. SOPHIÆ  
filiae obitum lugenti.



Visq; licet, superâ dum vescimur æthe-  
ris aurâ,  
Perpetimur nostros, pueri, iuuenesq;, se-  
nesq; ,

Diues, inops, fortis, sapiēs, mas, foemina, manes,  
Distrahimur curis, morbis affligimur, & nunc  
Hæc mala, nunc alia ex alijs incommoda surgunt;  
Cedimus inuiti tamen, indignantibus ægro  
Cum gemitu plærisq; supremus anhelitus exit.  
Ulterius certè paribus colludere gestit  
Astragalisq; trochoûe Puer moribundus; iniquè  
Secum agier queritur Iuuenis non amplius huius  
Delicijs mundi cernens se posse fruisi.  
Queis fuerat solitus gaudere prioribus annis  
Si modò in his videat sese exercere minores  
AEuo etiam Segni volup' est, nulliq; rei aptus  
Viuerè amat longumq; suis superesse precatur,  
Hoc mage sarcophagū natu quo grandior horrens.  
Diuiti agros partos, positosq; in fœnore nummos

B

Lin-



Linquere difficile est; Inopes perferre patiq;  
Pauperiem fatius credunt, neq; liberi ab illa  
Esse velint si sint subeunda pericula mortis.  
Non animo forti, manuum nec robore lethi  
Pellere vim Miles potis est, quiq; hostibus antè  
Terror erat nunc est sine viribus & tremit artus,  
Ac sese dolet ante diem succumbere inultum.  
Non Parcam immitem vinci rationibus vllis,  
Non herbas, nec aquam lustralē hīc, non panaceā  
Prodesse, aut quicquid veterum experientia dicit,  
Seq; ferè incassum tantos posuisse labores  
Deplorat Sapiens, in longum vbi lumina somnum  
Claudit, & horrendo soluuntur frigore membra.  
Coniugium Coelebs quid sit prius expetit, atq;  
Scire maritalis quæ lecti gaudia dicant; (tam  
Cui soboles, hanc ante obitum florentem & adul-  
Cernere auet; Matura viro hinc discedere nolit,  
Deposito sero nisi sponsum exceperit vlnis.  
Mœsta suis metuit quos est enixa, neq; illos  
Curæ alij credit fore post sua funera Mater.  
Sic mors est hominū quibus hæc est vita voluptas  
Vnica, nos aliam sperare & credere vitam  
Sacra docent, (præ quâ sit quam modò viuimus  
Aut etiam nihil,) in cœlo restare paratas (vmbra  
AEter-

Aeternasq; pijs sedes, sapientia vbi ipsa  
Diuitiaq; sient veræ, nec, qualia in orbe  
Diuexant mortale genus, nos tristia tangant.

Huc tua sexennis SOPHIE, facunde Themistos  
Præses & Eunomiæ CLYDI decus aureum, ab ipso  
Rerum patre fuit translata, vt tempesti Diuum  
Has terras permutaret. Sic libera curis  
Atq; metu quibus hinc obnoxia fortè fuisset  
Perpete lætitia fruitur, numenq; supremum  
Quale fiet, spernens hæc inferiora, tuetur.  
Quid tua te pietas, quid te prudentia & ordo  
Iustitiæ hinc iubeat primæ, non dicere nostrum est:  
Ipse scies per te nimium deponere luctum,  
Hoc etiam tua gnata velit, matremq; sororesq;  
Et fratres itidem lachrymis nunc parcere vanis.  
Non gestare decet vos inuida pectora. Quare  
Gaudia filiolæ germanæq; inuideatis,  
Quæ vobis, vbi vita sequens exordia sumet  
Auspicijs dextris, etiam esse velitis? eruntq;,  
Si Sophiæ porrò sacræ, quæ semita cuiq; est,  
Et veterum monitis faciles præbebitis aures,  
Quod facitis summâ cum laude & fortibus ausis.

*Rudolphus Diepholdius.*

*Græc. litt. in ac. Julia professor.*

B 2

*Quam*





**V**am benè te Sophies decorabant nomina,  
magni

Propago patris, digna stirpe Cludias!  
Nam te non longa maior sapientia vita,  
Et iuncta rara rarior modestia  
Ornabat pietas, pignusq; parentibus omni  
Reddebat auro nobili pretiosius.

Hic etenim verus Sophies nitor, hoc decus unum,  
Virtus quod individua conciliat comes:

Virtus, quæ teneris mature se exerit annis,  
Moxq; ac deinceps cæli amore pascitur.  
Talis eras Sophie, spondebant nomina talem.

Sed heu, caduca quòd sit, & nimis fugax  
Res hominum, ipsa etiam iusto maturius ævo  
Experta vitæ linquis usuram brevis.

Sic, modo qui pulchrè præstante colore nitebat,  
Et suave ridens flos odoris halitu

Fragrabat dulci, violenti turbine venti  
Marcescit ictus, interitq; protinus.

Sed benè factum. Omnis modo nania mæsta faceffat,  
Faceffat omnis luctus & querimonia.

Hospi-

Hospitio longè Sophie meliore potita  
Inter beatos cœlitum choros nitens  
Cœlestis Sophies fontem iam peruidet ipsum,  
Sophieq; dia plena Sophies personat.  
Mox ubi restituet putrefactum buccina corpus,  
Perennè plenis perfruetur gaudiis.

M. Ioannes Nendorfius,  
scholæ Goslariensis Rector.



Ad cl.<sup>mum</sup> virum ANDREAM CLV-  
DIVM, IC.<sup>tum</sup>  
ELEGIA CONSOLATORIA.



Væ poterat fessum lusu recreare pa-  
rentem,  
Et tenerâ matri reddere mente io-  
cos:

Occubuit, primæ vernans in limine vitæ,  
Naturæ stimulis pluribus acta bonis.  
Heu rapidos annos, fugitiuaq; tempora vitæ!  
Momento citius mors inimica venit.  
Sic ætas, nec forma iuuat: discrimine nullo  
Asserit humanum trux Libitina genus.

B 3

Namq;

Namq; obiit genitor PELOPIS conuiuia DEORVM  
TITHONVS, magni pulcher & ingenij:  
Nec IOVIS arcanis MINOS admissus, ab ipsa  
Lege solutus abit, ligo legatus obit.  
Quod rutilo constans Eo splenduit, istud  
Sub sero fractum vespere saepe cadit.  
Sic nihil in terris felix, sed lubrica cuncta!  
Cras, qui nunc, viridis floret; & aret humo.  
Sic nihil in terris lætum, sed tristia cuncta!  
Cras, qui nunc ridet; funera mœstus agit.  
Hic status, hæc lex est huius mutabilis æui,  
Quam summus posuit constituitq; DEVS.  
Ergo quid luges communi lege peremtam,  
Et crucias pectus, vir venerande, tuum.  
Mitte precor querulas voces, curas & edaces,  
Pectoris vna quies, tristia posse pati.  
(Sic namq; in fatis!) vitæ DEVS arbiter idem  
Quondam restituet nobiliora tibi,  
Inspexit mundum, despexit, deniq; totum  
Neglexit, CHRISTO reddita NATÀ suo.  
Hincq; via angusta angustos ascendit honores  
Mens tenera, & veras læta petiuit opes.  
Nunc SOPHIA IN CHRISTI complexu ludit, & here  
Et decus, æthereâ gestit ouatq; domo:

E

Et facit à vitijs vacua hæc, curisq; soluta,  
Delicias superis, deliciasq; DEO.

Melchior Grabianus Iuris V. Docto-  
randus. ac. Iul. à secretis.

ELEGIA

Ad patrem Andr. Cludium I. C.

**D**Esine tam mæstis clamoribus inuida fata  
Clamare, & miseris rationem pone querelis.  
Quid iuuat, immensi iuris, legumq; peritus  
Dicier, & dulcis multum sumsisse liquoris,  
Fontibus è nitidis Musarum, accedere nulli  
Quos datur ex vulgo: propiusq; adysse sagaci  
Ingenio, summè stellanti sede micantes.  
Si dolor intus agens, feruensq; in pectore tristi,  
Te quasi perdomitum superat, lateq; triumphat?  
Causam fata quidem mæroris tristia præbent,  
Dum SOPHIENcaram, quæ nondum impleuerat annum  
Infans septenum, morte immatura tulerunt.  
Flebilis illa iacet nobis, carisq; propinquis.  
Sed quorsum planctus, luctuq; insumere tempus?  
Horum nil repetit fatum insuperabile. Namq;  
Hæc data lex vitæ est, vt nati viuimus, omnes  
Sic morimur, miseram vitam vt moriamur habemus.  
Felix hæc anima est, quam multis questibus vrges,  
Nostraq; contemnit mala, turbæ inserta DEARVM.

Ioan. Thomas Cludius.

F I N I S.





HB. 153147

ULB Halle

3


005 134 730



R

UD74







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

28.

CASELII  
REAM CLV=  
SSOREM PRIMA-  
enatorem curiæ ducalis  
orem iudicij prouin-  
um & oratorem  
l. mum.

TOLA.

OPHIÆ CLVDIÆ  
*ola, Andrea Cludii*  
*liola*

MINA  
iquot amicis scripta bene-  
*ra deias* gratia erga pa-  
ncestissimos.



AESTADI,  
graphica Iacobi Lucij,  
lo lo cx,

28

